

reddetur manifestum; hac quoque via extorquendum est praesidium, quod causae suae hic quaerebant, ut computum hunc divinum salvemus, nihilque habere injusti in damnanda magna parte hominum, sua culpa, non vero, *DEI decreto* aut *praeteritione absoluta*, demonstremus; Quale tamen Porisma foedum ex illorum doctrina sequitur, qui aut Supralapsariorum aut Infralapsariorum, aut molliorum adhuc sententiam tuentur.

VI.

De Computo igitur atque arte divina numerandi seu rationibus Numinis circa animas hominum, differit Apostolus in loco nostro. *Logisticam sanctissimam Dei* si dixeris, non intuleris injuriam mysterio solatii plenissimo. Vox enim τῆ λόγος non modo ipsa, verum antecedens etiam τῆ ἀριθμῶ ac praedicata deinceps addita, nihil aliud evincunt, quam Apostolum velle demonstrare, quomodo fiat, ut ex tam innumeris hominibus, numerum arenae maris pene aequantibus, pauci saltem salventur; quando nimirum Deus ineat numerum eorum, quos creavit, variisque bonis affecit, paucos saltem reperiri, quibus contingere possit salus, cum plerique se ipsos salvandorum numero subtrahant & excludant. Itaque numerum praemittit ingentem, eumque supponit vel talem esse, qualis sit ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, a quo tamen deinceps non diffitetur tantum per malitiam hominum subtrahi, ut non nisi τὸ κατάλειμμα seu residuum salvetur.

VII.

Qui vocem τῆ λόγος per verbum reddiderunt, hanc emphasin noluisse respicere videntur, commodius enim illa per *rationes*, seu *computum* redditur. Docet hoc substrata materia, ubi de ἀριθμῶ quodam se agere velle, profitetur Apostolus, in hoc vero nexu λόγος non verbi sed rationum
notio-